

quod causa istius amoris fuerit remissio debiti obtinenda.

Obj. 2<sup>o</sup>: Verba illa Christi ad mulierem peccatricem: *Remittuntur tibi peccata tua*, sunt potius declaratoria et confirmatoria jam concessæ remissionis, quam operativa primæ justificationis; ergo mulier illa fuit justificata, antequam ad Christum accederet; ideoque ejus dilectio, de qua agitur in parabola, fuit tantum amor gratitudinis pro remissione debiti jam obtenta.

Prob. ant. ex S. Gregor., hom. 33 in Evang., ubi dicit quod Christus illis verbis eam quam sanaverat, per pietatis suæ sententiam confrinet.

Resp. Neg. ant. Nam sicuti non potest dici quod verba absolutiois sint potius declaratoria et confirmatoria remissionis peccatorum jam concessæ, quam operativa primæ justificationis; ita nec id dici potest de præcatis verbis Christi. Ad amentioritatem autem S. Gregorii dico quod ipse non agit de verbis illis: *Remittuntur tibi peccata tua*, sed de istis: *Vade in pacem, quæ dicit esse confirmatoria remissionis jam concessæ*. Patet hoc ex toto contextu, qui ita sonat: *Coestis medicus agros non despicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores videt. Eam autem quam sanaverat, per pietatis suæ sententiam confrinet, et dicit: Fides tua te salvum fecit, vade in pacem.*

Inst. Prædicta Christi ad Magdalenam verba similia sunt iis que, Marci 5, v. 34, dixit ad mulierem fluxum sanguinis ad omnis duodecim patientem: *Esto sana à plagis tuis*. Atqui per hæc non tribuit, sed tantum confirmavit ei, ratamque habuit collatam à se sanitatem; siquidem mulier illa prius solo tactu fimbriæ ejus sanata fuerat, ut patet ibidem, v. 29, ubi dicitur: *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus; et sensit corpore quia sanata esset à plagis*. Ergo et verba Christi ad Magdalenam videntur tantum fuisse confirmatoria remissionis peccatorum jam ante concessæ.

Resp. Neg. maj. et consor. Nam cum ex citato versu 29 et seq. constet quod mulier illa esset sanata à profluvio sanguinis, antequam Christus eam alloqueretur, clarè sequitur quod verba illa: *Esto sana*, etc., non possint rigorosè sumi; adeoque in textu Marci occurrit aliqua necessitas sumendi illa verba latè, seu dicendi quod tantum fuerint confirmatoria sanitatis jam ante collatæ. Atverò in parabola, de qua agitur Lucæ 7, ne vel verbum, aut illa circumstantia est que innuit quod Magdalene collata fuerit remissio peccatorum, antequam Christus diceret quod ipsi remitterentur peccata sua; ac proinde cum ne vel minima occurrat necessitas sumendi illa Christi verba improprie; rigorosè ac proprie, seu prout sonant, accipi debent. Unde etiam et SS. Patres eadem ita acceperunt, prout patet ex SS. Aug. et Gregor. supra citatis, qui dicunt quod Magdalena ad Christum accesserit immunda ut rediret munda, nondum lota, sed lavanda, etc. Nullo modo igitur dici posse nobis videtur quod tantum fuerint confirmatoria remissionis peccatorum jam ante concessæ; sed

dicendum omnino apparet quod fuerint collativa gratiæ primæ, seu operativa justificationis; quemadmodum et verbum *mandare*, de quo Matth. 8, v. 5, fuit curativum lepræ.

Obj. 3<sup>o</sup>: Cum Lyrano: Prædicta Christi verba respiciunt solum peccatorum, jam quoad culpam remissorum, restantem poenam; ergo non fuerint remissiva ipsius culpæ, sed solius poenæ; ac consequenter hinc rursus concluditur quod dilectio illa de qua agitur parabola, fuerit amor solius gratitudinis, et non causa dispositiva remissionis peccatorum.

Prob. ant., quia Christus post illa verba: *Remittuntur tibi peccata multa, quoniam dilexisti multum*, statim subiungit sequentia: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Atqui hæc ultima non possunt intelligi de remissione culpæ; ergo nec alia videntur intelligenda de remissione culpæ.

Prob. min., quia remissio culpæ vel totalis est, vel nulla est; nam certum est quod unum peccatum mortale non possit remitti sine alio. Remissio autem poenæ per partes communitur conceditur; ergo illa verba: *Cui autem minus dimittitur*, etc., tantum intelliguntur de remissione poenæ, non verò de remissione culpæ.

Resp. Neg. ant. et minorem probationis; nam quamvis unum peccatum mortale, etiam minimum, non possit remitti sine alio; tamen hoc non obstantè præcitata verba rectè intelliguntur de remissione quoad culpam, quia verba illa non significant quod ille qui minus diligit, accipiat remissionem peccatorum minorum, seu aliquorum, cæteris manentibus irremissis; sed designant quod qui pauca se putat habere peccata que sibi remittantur, minus diligit; id est, ex illa opinione minorem dilectionem et inferiora dilectionis ac poenitentiae officia parare solet ad remissionem consequendam, sicut Simon Phariseus fecerat. Unde sensus est: Tu, ó Pharisee, cum pauca tibi à Deo remitti credas, parum vicissim illum amas; sicut solent debitores quibus pauca debita remittuntur. Nam ista verba propter Phariseum dicta esse docet S. Aug., hom. 25 inter 50. Non enim Dominum invitasset, nisi aliquantulum dilexisset, inquit ibidem; sed ideo parum diligebat, quia sibi parva debita suspicabatur. Quo sensu possant hæc verba, ait Jansenius, vel ad aliquam consolationem Simonis esse dicta, ut quirationabilem causam habuissent non exhibendi tanta opera poenitentiae; quia habebat minor peccata quam Magdalena, ut quidam volunt: licitum est enim ei qui pauciora peccavit, inferiorem agere poenitentiam. Vel ista verba dicta sunt ad reprehensionem Simonis, tanquam minus diligens quam deberet: nam, quamvis fortè pauciora peccata commisisset, debebat tamen omnia sibi dimissa deputare, que vel fecisset, peccata, vel Deo regente non fecisset, juxta illud Aug., lib. 2 Conf., cap. 7: Omnia mihi dimissa esse fateor, et que meã sponte feci mala, et que te duce non feci. Ita Jansenius.

Si quis tamen pretendat prememorata verba non tantum esse dicta propter Phariseum; sed Christum

absolutè voluisse significare quod ei qui minus diligit, etiam minus dimittatur, tali modo accepta adhuc habent suam veritatem; quia tunc sensus eorum videtur esse hic: qui vel tantum peccata venialia, vel etiam minora mortalia commisit, sepe non elicit aut elicere solet, nec elicere debet tam ardentem amorem erga Deum, seu tam vehementem contritionem, ut eorundem remissionem obineat, quam ille qui in graviora crimina prolapsus fuit.

## CAPUT XVI.

Christus Capharnaï sanat demoniacum cæcum et mutum, quâ occasione Phariseos, opera sancti Spiritus calumniantes refellit, Matth. 12, v. 22 usque ad 46; Marci 5, v. 22, usque ad 51, et Lucæ 11, v. 14 usque ad 35. Capharnaï egressus ad mare multis parabolis, seminis, zizaniorum, sinapis, etc., docet turbas. Matth. 15, v. 1 usque ad 35; Marci 4, v. 1, usque ad 34; Lucæ 8, v. 4 et cap. 15, v. 18. Post dictas parabolas Christus ivit in civitatem suam Nazareth, Matth. 13, v. 55; Marci 6, v. 1, et Lucæ 4, v. 16, usque ad 31. Pergit deinceps circuire vias Galilææ, suppedantibus vitæ necessaria mulieribus, inter quas erat Maria Magdalena. Lucæ 8, v. 1.

## QUÆSTIO PRIMA.

An Mattheus, cap. 12, agat de eodem demoniaco, de quo agit Lucas, cap. 11.

Resp. affirmatè. Et ratio hujus est quod eadem sit Phariseorum blasphemia: *In Beelzebub ejicit demonia*; eadem pariter sint rationes apud Mattheum et Lucam, quibus Christus confirmat se non in Beelzebub, sed in digito Dei ejicere demonia. Cum igitur inter Mattheum et Lucam circa narrationem hujus miraculi sit quasi omnimoda concordia, et eadem occurrant circumstantiæ, dicendum est quod uterque evangelista de eodem quoque demoniaco agat.

Dices: Mattheus narrat istum demoniacum fuisse mutum et cæcum; Lucas verò tantum ait illum fuisse mutum; ergo non est idem.

Resp. Neg. consor., et dico cum S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 57: Lucas commemorat, et mutum dicit tantum, non etiam cæcum; sed non ex eo quod aliquid tacet, ideo de alio dicere putandum est. Ea enim sequentia etiam ipse contextus et quæ Mattheus.

Christus confutans blasphemias Phariseorum, dicitur quod in Beelzebub ejiceret demonia, inter alia ab ipsis petit, Matth. 12, v. 27: *Si ego in Beelzebub ejicio demonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Circa hæc verba queri potest quinam intelligantur per mox dictos filios. Ad quod quasitum breviter respondeo Christum ibidem videri loqui de exorcistis Judæorum, de quibus Act. 19, v. 14, et Josephus, lib. 8 Antiq., cap. 2, qui arte à Salomone tradita expellebant demones. Theophylactus et nonnulli alii veteres intelligunt apostolos, qui erant filii Judæorum. Censent enim hæc contigisse post missionem apostolorum factam à Christo, in quo apostoli ope Christi demones expulerunt, et miracula plurima patrârunt. At-

tamen quia verus est quod hæc contingerint ante missionem apostolorum, uti patet cap. seq. quæst. 1; ideo per filios nec apostoli, nec etiam alii Christi discipuli videntur posse intelligi; siquidem hi ante missionem suam nullibi leguntur ejicere demonia.

Dices cum Estio: Si Christus locutus fuisset de exorcistis Judæorum, parata fuisset responsio: *In virtute Dei ejiciunt demonia, tu autem in Beelzebub.*

Resp. Casu quo ita respondissent Pharisei, etiam parata fuisset responsio Christi, dicendo nimirum: Non habetis majorem rationem dicendi quod ego potius in Beelzebub ejiciam demonia, quam quod filii vestri id faciant; quandoquidem verum Deum colam, et legem mosaicam ad amissum observem, etc.

## QUÆSTIO II.

Quis sit sensus verborum Christi, quæ habentur Marci 4, v. 26.

Quando Christus multis parabolis docuit turbas, inter cæteras loco citato Marci proposuit hæc: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciât sementem in terram, et dormiat, et exurgat nocte et die, et semen germinet, et increseat diu nescit ille.*

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: Bedæ, auctor Commentariorum in Marcum apud S. Hieron., et Glossa hæc parabolam illa explicant, ut *exurgat nocte et die*, referatur ad semen; quasi Christus diceret quod semen exurgat, seu crescat nocte et die, etiam dum agricola de eo non cogitat et dormit. Sed sola lectio totius textus, etiam tura reflexio ad particulam *et*, que immediate præcedit *et semen*, satis insinuat quod utrumque verbum, nempe *dormiat et exurgat* debet referri ad agricolum seminantem. Præterea semen habet duo subsequenda verba sibi propria, scilicet *germinet et increseat*: ergo non debet illi attribui verbum *exurgat*, quod respectu seminis est metaphoricum. Itaque.

Dico 2<sup>o</sup>: Illud *dormiat et exurgat nocte et die* debet intelligi, tanquam esset positum: *Dormiat nocte, et exurgat die*, sicut intelligitur antiquus hic versiculus: *Verbum, virgo, Deus, fit caro, mater homo*. Id est, verbum fit caro, virgo fit mater, Deus fit homo, et tunc sensus est hic: *Sic se habet negotium regni Dei, id est, Ecclesiæ; sicut si agricola semen in terram spargat, et ipse de nocte dormiat, de die vigilet, et negotiis suis vacet, de semine in terram sparsis non cogitet; equidem semen illud germinabit et crescet, ipse agricola quodammodo nesciente. Nam, ut immediate in textu Marci sequitur: *Ultrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.**

Ita ergo etiam se habet Evangelii prædicatio et doctrina: hæc enim à Christo et apostolis seminata: id est, prædicata à parvis initiis confinito, sed sensim sine sensu crescit in magnas et maturas fidelium fruges, ipso Christo quasi dormiente in cœlis, et velut nesciente; eò quod permittat Judæos et gentes infideles contra apostolos et Evangelium insurgere, eoque persequi et occidere. Crescit, inquam, donec sensim se propagans totum orbem occupet; quod maturâ jam messis frumentum, id est, electi, colligentur in horrum cœli,



quod fiet in fine mundi. Ita à Lapide, Jansenius, Maldonatus et Barradius.

Petes quomodo granum sinapis, Marci 4, v. 31, vocetur minus omnibus seminibus, quæ sunt in terrâ, cum semen papaveris sit illo minus?

Resp. dici minus, sive ut Matthæus habet, cap. 13, v. 32, *minimum*; id est, inter minima. Item dicitur minimum cum proportione, quia nempe nullum tam parvum semen producit tam magnam plantam; ita quidem ut fiat magna arbor, sicut dicitur Lucæ 13, v. 49.

In hac quidem regione non ita crescit; sed hoc fit in Syriâ et Palæstina, ut dicunt auctores et ipsum Evangelium. Parabola autem de grano sinapis significat fidem in initio prædicationis fuisse parvam, ac postea crevisse per totum mundum.

#### QUÆSTIO III.

*Quandonom Christus venerit in Nazareth.*

Resp. quod Christus venerit in Nazareth postquam absolvisset supra memoratas parabolas. Clarè autem id patet ex Matthæo, qui cap. 13, v. 53, dicit: *Cum consueverat Jesus parabolas istas, transit inde. Et veniens in patriam suam (nempe in Nazareth), docebat eos in synagogis eorum.*

Obj. 1<sup>o</sup>: Lucas, cap. 4, videtur insinuare quod Christus venerit in Nazareth immediatè post incarcerationem S. Joannis Baptiste: nam ibidem narrans secundum iter Christi in Galilæam, de quo mentionem fecimus, subdit, v. 16: *Et venit in Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.* Ergo diu ante præmemoratas parabolas venit in Nazareth.

Resp. Neg. ant. Nam Lucas loco citato narravit adventum Christi in Nazareth per anticipationem, seu præoccupavit quod multis rebus interpositis postea gestum est, ut observat S. P. Aug., lib. 2. de Cons. evang., cap. 42, ubi agens de apparenti antilogia quæ est inter Matthæum et Lucam circa hunc Christi adventum, eam solvit hoc modo: Lucas eandem rem latius indicat, et plura commemorat. Nec longè post baptismum et tentationem ejus hæc inserit, sine dubio præoccupans quod multis rebus interpositis postea gestum est... Quod hinc evidentissimè intelligi potest, et quia Lucas, antequam narraret Dominum aliquid fecisse in Capharnaum, præoccupavit hunc locum, ibi cives ejus et potentiam virtutis in eo stupebant, et ignobilitatem generis contemnebant. Nam et hoc dicit et eis dixisse: *Utique dicitis mihi: Medice, cura te ipsum, et quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hæc in patria tua;* cum secundum ejusdem Lucæ narrationem nihil adhuc legatur fecisse in Capharnaum... Quid est ergo evidentius quam hoc cum scientem præoccupasse narrandum, cum utique jam magna et ab illo in Capharnaum facta fuisset et ipse novisset et ipse commemoraret, quæ se nondum narrasse utique scit? Neque enim tantum ab ejus baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de iis quæ in Capharnaum gesta fuerunt. Ita S. Augustinus.

Obj. 2<sup>o</sup>: cum Roberto Guerdard in Compendio Bibliorum: Iter Christi in Nazareth, narratum à S. Lucæ, cap. 4, est distinctum ab illo itinere, quod narrat Matthæus, cap. 13, et Marcus, cap. 6; ergo nihil implicat quominus dicatur quod iter, de quo Lucæ 4, contigerit immediatè post secundum Christi adventum in Galilæam, seu post vocationem Petri et Andree.

Pro. ant., quia, juxta Matthæum et Marcum Christo nulla facta est injuria à Nazarethanis, juxta Lucam verò ipsi gravis injuria illata fuit: nam narrat quod voluerint eum precipitare de monte; ergo.

Resp. Neg. ant., et ad probationem dico nihil inde sequi; quia omnibus notum est quod sæpè unus evangelista suppleat et narret quod alii omiserunt. Dico igitur quod Matthæus et Marcus omiserint injuriam illam Christo illatam, et Lucas illam expressit.

Inst. 1<sup>o</sup>: Juxta Matthæum et Marcum Christus fecit in Nazareth aliqua miracula, licet pauca; apud Lucam verò non habuit tempus faciendi: nam *ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, etc.* Ergo tres isti evangelistæ non narrant idem iter.

Resp. Neg. conseq. Nam, non obstantibus hiis quæ dicit Lucas, Christus potuit facere pauca miracula in Nazareth. 1<sup>o</sup> Quia potuit illa facere ante sabbatum illud quo docuit in synagogâ: nam Matthæus et Marcus, qui narrant ipsum ibi pauca miracula fecisse, non dicunt ipsum illa fecisse postquam docuisset. 2<sup>o</sup> Quia Lucas non dicit illum ejectionem fuisse primo sabbato quo docuit, sed illo sabbato quo secundam consuetudinem suam docebat. Denique, etiamsi primâ vice quæ docuit ejectionis fuisset, equidem potuit mox redire ad civitatem, et aliquos infirmos curare; sicut Marcus, cap. 6, v. 5, narrat. Nam, si ejectione apud Lucam notata, non obstiterit quominus in sententiâ præcitatæ auctoris postea iterum Nazareth reversus fuerit, et docuerit; etiam non obstitit quominus eodem, vel altero die redierit, ibidemque quasi transeundo aliquos infirmos sanaverit.

Adde satis incredibile esse quod Christus in synagogâ Nazarethana bis eadem dixisset, bis Nazarethani idem dixissent, bis accidissent eadem circumstantiâ, etc.

Inst. 2<sup>o</sup>: Christus bis pavit turbas in deserto multiplicatione panum et piscium; bis ejectione negotiatores ex templo; ergo etiam dici potest quod bis docuerit in synagogâ nazarethana.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est ad primum exemplum quod idem evangelistæ apertè ponant duas diversas multiplicationes panum, cum diversis circumstantiis: nam Matthæus, cap. 14, Marcus, cap. 6, et Lucas, cap. 9, ponunt quinque panes et duos pisces pro quinque millibus viroorum, et duodecim cophinis fragmentorum quæ superfuissent. Deinde pro secundâ vice, Matth., cap. 13, et Marcus, cap. 7 (Lucas hæc secundam multiplicationem omittit), ponunt panes septem, pisciculos paucos pro quatuor millibus viroorum, et septem sportas fragmentorum. Sed nullus evangelista bis habet quod Christus docuerit in synagogâ Nazarethana, nullus bis habet eadem verba

Christi ad Nazarethanos; denique nullus bis habet eadem verba Nazarethanorum de Christo, sed tantum semel cum omnibus eisdem circumstantiis; ergo, etc.

Similiter disparitas est ad secundum exemplum: nam Matthæus, cap. 21; Marcus, cap. 11, et Lucas, cap. 19, apertè dicunt Christum ejectione vendentes et ementes ex templo paulò ante ultimum suum Pascha, scilicet postquam die Palmarum solemniter ingressus fuerat Jerusalem: Joannes autem, cap. 2, apertè habet Christum ejectione vendentes tempore primi sui Paschatis. Deinde apud Matthæum, Marcum et Lucam, post ejectiones vendentes et ementes, petunt Judæi à Christo, in quâ potestate illos ejectione, et ipse petit ab illis an baptismus Joannis fuerit à Deo, an ab hominibus: apud Joannem autem Judæi petunt à Christo signum quo probet se habere potestatem ejectione vendentes, et dat illis signum dicens: *Solveite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

#### CAPUT XVII.

Christus apostolos mittit in terram Israelitarum prædicatum Evangelium regni Dei, cum virtute et potestate super dæmonia, languores, etc., datque ipsis varia præcepta in missione observanda, Matth. toto cap. 10; Marci 6, à v. 7 usque ad 14; Lucæ 9, à v. 4 usque ad 7. Reversis à prædicatione apostolis, secedit cum eis Jesus in desertum trans mare Galilææ, ubi pascit quinque millia viroorum quinque panibus et duobus piscibus. Sub vesperam jussit apostolos transfretare, et ipse fugit in montem; unde quartâ vigiliâ noctis veniens, sedat tempestatem, Matth. 14, à v. 15 usque ad 34; Marci 6, à v. 50 usque ad 53; Lucæ 9, à v. 10 usque ad 18; Joan. 6, à v. 1 usque ad 22. Exiens navi in terram Genesareth, sanat omnes malè habentes, etiam sinitrie tactu, Matth. 14, v. 54; Marci 6, v. 53. Alterâ verò die, in synagogâ Capharnaï occasione patrati miraculi de panibus, longo sermone tradit admirandum illam doctrinam de pane celesti, seu de venerabili Eucharistiâ. Joan. v. 22, usque ad finem capituli.

#### QUÆSTIO PRIMA.

*An missio apostolorum, de quâ Matth. 10, Marci 6 et Lucæ 9, fuerit prima missio.*

Ante resolutionem observandum est quod hæc missio apostolorum interponenda esse videatur inter adventum Domini in Nazareth, et revelationem decollationis S. Joannis Baptiste. Unde putatur quod Marcus, cap. 6, tenuerit ordinem rei gestæ; et id etiam ex eo probabile apparet quod non solum ipse, v. 50, sed et Lucas, cap. 9, v. 10, post admirationem Herodi de famâ Jesu, subjungat apostolos rediisse, et cum illis Dominum secessisse in desertum locum; quem secessum, Matth., cap. 14, v. 13, factum scribit ob id quod Dominus audisset Joannem esse decollatum; ita ut hinc satis colligi possit decollationem Joannis contigisse eo tempore quo jam apostoli missi erant ad prædicandum. Quando ergo Matthæus, cap. 10, nar-

S. S. XXIII.

rat missionem apostolorum, præoccupavit id quod postea factum est. Igitur hic est ordo rei gestæ: Mittit Christus apostolos ad prædicandum; decollatur Joannes; Herodes Christi famam audit, et quisnam sit ambigit; ex missione redunt apostoli, cum quibus Christus secedit in locum. Hoc observato,

Resp. et dico: Missio apostolorum, de quâ in præcitatâ locis agitur, fuit prima, quâ illos misit tanquam apostolos, et cum potestate miraculorum.

Probat, quia ante hanc nullam aliam referunt evangelistæ, sed è contrario insinuant quod apostoli à tempore suæ electionis usque ad hanc missionem ferè semper fuerint cum Christo, et ipse solus prædicaverit; ergo hæc missio fuit prima.

Obj. 1<sup>o</sup>: Joan. 4, v. 58, dicit Christus discipulis suis: *Ego misi vos metere quod vos non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introitis, etc.* Id est, ego modò misi vos metere ea quæ prophete de me prophetantes seminaverunt. Atqui illa verba non tantum dñi ante hanc missionem, sed etiam ante apostolorum electionem dicta sunt, dum Christus remiserat mulierem Samaritanam in civitatem; ergo hæc non fuit prima apostolorum missio.

Resp. Neg. conseq., et ad verba Joan. 4 dico illa certò non posse intelligi de missione discipulorum ad prædicandum, quia tunc Christus ipse nondum inceperat publicè prædicare. Itaque illa verba debent intelligi vel de præordinatione discipulorum ad metendum, ita ut sensus sit: *Misi vos metere*; id est, destinavi vos mittere ad metendum. Vel intelligi debent de baptismo quem discipuli modo in Judæâ administraverant, Joan. 4, v. 2.

Obj. 2<sup>o</sup>: Saltem apostoli missi sunt ad prædicandum, quando fuerunt electi, seu immediatè post sermonem Domini in monte; atqui certum est quod eorum electio contigerit ante missionem de quâ Marci 6; ergo, etc.

Prob. maj. ex Marci 3, v. 14, ubi dicitur: *Fecit ut essent duodecim cum illo; et ut mitteret eos prædicare; et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejectionis dæmonia.* Ergo tunc apostoli missi sunt cum potestate miraculorum quando fuerunt electi.

Resp. Neg. maj., et ad probationem dico ea quæ dicit Marcus, cap. 3, de potestate miraculorum esse per anticipationem dicta; tanquam diceret: Elegit duodecim ut mitteret illos prædicare, et dedit illis potestatem, non tunc dum elegit, sed postea dum misit. Vel etiam dici potest quod dederit illis istam potestatem dum ipsos elegit, ut illam exercerent dum mitterentur. Nullo autem modo dicit Marcus loco citato quod tunc immediatè missi fuerint.

#### QUÆSTIO II.

*An præcepta apostolis, Matth. 10, data, fuerint ab ipsis perpetuè observanda.*

Resp. præcepta illa tantum data et observanda fuisse pro istâ missione.

Prob. 1<sup>o</sup>, quia Christus ibidem præcipit apostolis ne gentibus prædicent Evangelium, sed tantum Judæis; ut scilicet ita venientes sine duplici tunica,

(Trente.)



per, calcementis duplicibus, seu mutatoris, etc., per istum contemptum opum persuadeant Judais se esse apostolos veri Messiae, à quibus, utpote fidelibus, reciperent in domum et alerentur. Atverò ubi misit illos ad gentes, non dedit ipsis ista praecepta, quia praescibat paganos primà fronte averaturus, expulsuros et occisuros suos discipulos; adeoque debebant tunc sibi providere de victu et amietu ac hospitio, etc. Unde, Act. 4 et 5, apostoli accipiebant pecuniam à fidelibus oblatam, et Paulus labore manuum comparabat sibi pecuniam ut inde viveret.

Prob. 2 ex Luca 22, v. 53, ubi Christus de hâc missione loquens, dicit: *Quando misi vos sine sacco, et perà et calcementis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacco, tollat; similiter et peram. Ubi est nisi significat elapsam jam esse hoc praeceptum et nunc significat jam aliud praeceptum ipsis dari; scilicet ut tollant sacco et peram, etc. Ad hæc pulchrè D. Thomas, in cap. 10. Math., dicit: « Ante passionem missi sunt apostoli ad Judæos. Apud Judæos autem consuetudo erat quod suis debebant dædere magistris; idèd Christus nihil ferre praecepit apostolis, cum mitteret eos ad Judæos. Sed ista non erat consuetudo in gentibus. Idèd cum missi sunt ad gentes, data est eis licentia portandi sumptus; portabant igitur, quando predicabant aliis eam Judæis. »*

A Lapide dicit quòd S. Aug., lib. 2 de Cons. evangelist., cap. 50, docet contrarium; scilicet illa praecepta fuisse perpetua. Sed hoc ibi non invenit. Interim etamsi haberet, dici posset quòd intelligat de obligatione quoad substantiam, et scopum illorum praeceptorum, de quo statim agemus.

Dices: Juxta S. Hieron., in cap. 10. Math.: Christus hæc dat praecepta evangelizatoribus veris, quibus ante dixerat: *Gratis accepistis, gratis date.* Atqui hoc ultimum est perpetuum; ergo et alia videntur esse perpetua.

Resp. disparitatem esse quòd posteriori nullibi legatur relaxatum, uti alia de non tollendo sacco, perà, etc., relaxata fuerunt. Interim etiamsi ista, quomvis non ad litteram, tamen quoad substantiam et scopum sunt perpetua: scopus enim Christi est animam predicatoris ab avaritiâ avertere, ac prae se ferre magnum terrenorum contemptum, et desiderium celestium, atque fiduciam in Deum ejusque providentiam. Siquidem, juxta S. Hieron., loco citato: « Qui divitias detruncat, postmodum et necessaria vitæ amputat, ut apostoli doctores veræ religionis, qui instruebant, omnia providentiâ Dei gubernari, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. »

Petes 1<sup>o</sup> quare ergo Christus loculos habuerit.

Resp. Christum ab initio predicationis suæ loculos non habuisse, ut patet ex Math. 8, v. 20, ubi ipsemet dicit eundem scribere: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Postea verò quando duodecim apostolos, et septuaginta duos discipulos secum ducebat, permisi-

Judam portare loculos; quia aliàs eos alere fuisset naturaliter impossibile: quis enim tantam hominum multitudinem hospitio recipere et perpetuò sustentare voluisset? Atverò in hâc missione apostolos misit binos et binos: duo autem apud aliquem virum pium facile victum et hospitium recipere poterant; et idèd ipsis prohibuit ne aliquid secum ferrent in viâ.

Petes 2<sup>o</sup> quomodo Christus Math. 10, v. 10, prohibeat apostolis ne ferant secum virgâ, et tamen, Marci 6, v. 8, dicat contrarium, scilicet *ne quid tulerent in viâ, nisi virgam tantum.*

Resp., ad hanc apparentem antilogiam conciliandam dici potest cum à Lapide, Marcum loqui de *missachan*, id est, de virgâ seu baculo, cui aliquis innititur; Matthæum verò de *matte*; id est, de baculo seu virgâ defensoriâ. Itaque permittit Christus ut apostoli utantur baculo ad incedendum; sed prohibet ne utantur ad se defendendum contra invasores.

#### QUESTIO III.

Quomodo sint intelligenda verba Christi, quæ habentur, Math. 10, v. 23.

Postquam Christus apostolis prædixisset quòd essent passuri varias persecutiones, loco statim citato subjungit verba sequentia: *Cum autem persequerentur vos in civitate istâ, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.*

Resp. et dico: Juxta S. P. Aug., lib. 4 contra Gaudentium, cap. 18, et Rupertum in jam citatum Matthæi locum, Christus non dirigit hæc sermonem suum ad solos apostolos, sed ad omnes post ipsos futuros viros apostolicos et missionarios; et per civitates Israel non intelligit solas civitates Palestinæ, sed civitates Israelis spiritualis; id est, omnium fidelium; atque adèd respondet quodammodo ad objectionem tacitam quam potuissent apostoli facere: cum enim ipsis præcepisset ut tantum in civitatibus Israel predicarent Evangelium, potuissent discipuli ipsi respondere: Quid si Judæi nos expellant ex omnibus suis civitatibus, ad quam tunc fugiemus?

Respondet ergo secundum Rupertum quòd usque ad diem judicii semper future sint aliquæ civitates Israelis, id est, Christianorum, in quibus fugere poterunt persecutionem infidelium; et quòd non sint consummaturi, id est, absoluturi omnes istas civitates predicando, fugiendo, etc., ante tempus extremi judicii; quia dum Evangelium erit predicatum per totam mundum, erit dies ultimi judicii. Hanc Rupertus interpretationem approbat auctor Anafyses, sed paulò latius explicatam hoc modo: Quavis interpretatio illa non explicet quomodo prædicatores Evangelii sint expellendi ex civitatibus christianis, cum ille creant Evangelio; facile tamen est supplere illum defectum per aliam explicationem, quam ista interpretatio etiam insinuat. Scilicet præmonet Christus sanctos illos prædicatores, quos in fine mundi mittit Deus pro ultimâ vice, ante adventum Antichristi (qui erit ultimus persecutor fidelium) ad civitates, et gentes à fide aposto-

tas iterum convertendas. Prædicabunt ergo illi in omnibus civitatibus, quas Christus vocat civitates Israel, quia olim fuerunt fideles: in illis autem plurimos convertent; sed quia tamen principes et magistratus civitatum, vitis suis associi, non convertentur, persecutentur et expellent illos prædicatores.

Prefatis igitur verbis ipsos consolatur Christus, et monet ut, motâ persecutione in unâ civitate, fugiant ad aliam, ne à persecutoribus comprehensi occidantur; et sic alia civitates non habeant felicitatem audiendi predicationem Evangelii. Itaque atrox illa persecutio erit causa quòd prædicatores, coacti semper fugere, brevi temporis spatio portent luceo Evangelii per totum mundum, ut homines citò convertantur, cum instet finis mundi.

Promittit illis insuper quòd non sint percursuri omnes civitates antiquæ christianitatis, priusquam veniat ad judicium. Hic adventus tamen debet hic late sumi, non pro ultimo præcisè die, sed pro aliquot annis præcedentibus, quibus nimirum jam incipent fieri signa et prodigia præmittantia diem ultimum, inter quæ maximum erit ipse Antichristus.

Hæc explicatio fundatur in verbis Apostoli 2 ad Thessalon. 2, v. 10, ubi dicit illos impios à Deo puniendos, eò quod charitatem veritatis non receperunt ut subsi ferent; id est, veritatem fidei, tantâ charitate et zelo ab istis prædicatores ipsi annuntiatam. Idèd mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendaciam, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Cum ergo dicit Apostolus quòd non sint crediduri veritati, supponit apertè quòd sit ipsis annuntianda. Dum insuper dicit ipsos fore pertinaciter adhaerens iniquitati, supponit etiam iniquitatem illis esse stabilitam, aut prevalere. Porrò esse adèd pertinaciter affixos iniquitati, ut non velint credere veritati, tam propinquum est persecutioni, ut prudenter credere possumus quòd homines potentes istius characteris adèd sint persecutori prædicatores, ut cogantur continuo fugere de unâ civitate in aliam. Ergo illa explicatio bene fundatur in citatis Apostoli verbis.

Petes 1<sup>o</sup> an non debeat admitti explicatio illorum, qui cum S. Chrysostomo, Euthymio et Theophylacto præfata Christi verba intelligunt de illâ presenti missione, ad quam Christus, Math. 10, mittit apostolos; ita ut sensus sit: *Non percurretis omnes civitates Israel predicando, etc., priusquam ego venero ad vos; vel, ut alii putant, priusquam resurrexero.*

Resp. negativè: Quia in illâ primâ missione nihil omnino accidit illorum quæ Christus prædixerat ipsis eventura: nam imprimis in istâ missione apostoli non exibat e Gallicâ; adeoque non erat ratio cur percurrerent civitates Judææ, in quam nequidem intraverant. Deinde in illâ missione nec persecutionem sunt passi nec expulsi; adeoque non fuerunt coacti de unâ civitate fugere in aliam; è contrario videntur fuisse ubique bene recepti; siquidem in ultimâ eorundem desuper interrogavit eos Christus Luca 22, v. 35, dicens:

*Quando misi vos sine sacco, et perà, et calcementis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Denique ista missio non duravit usque ad resurrectionem: nam diù post, nempe ante passionem suam, ivit cum omnibus suis apostolis Jerusalem, et mandocavit ultimam eorundem; ergo non manserunt in illâ missione usque ad ejus resurrectionem. His addit quòd nulli in Scripturâ resurrectio vocetur adventus Domini.*

Dices: Verba illa: *Donec veniat Filius hominis* non debent intelligi de adventu corporali, sed de adventu per gratiam et auxilium.

Resp. Neg. assumpt. Nam nequidem ab initio missionis Christus apostolis defuit gratiâ et auxilio.

Petes 2<sup>o</sup> quare saltem non posset dici sensum esse quòd apostoli non sint absoluturi predicando in omnibus civitatibus Judææ, antequam veniant Romani, qui Jerusalem destruant, et Judæos per totum mundum dispergant, quod contigit tempore excidii Jerusalemiani.

Resp. Quia tempore excidii Jerusalemiani modò civitates Judææ percurrerant, et, excessu putere pedum suorum, relictiis Judæis, dispersi jam erant inter gentes.

#### QUESTIO IV.

In quo loco Christus multiplicaverit quinque panes.

Post decollationem S. Joannis Baptistæ, ipsius discipuli ad Christum venerant, ac ei nuntiaverunt quòd eorum magister ab Herode esset interceptus, prout narrat Matthæus cap. 14, v. 12. Redierunt etiam eo tempore apostoli, quos Christus ad predicandum miserat, ut narrat Marcus, cap. 6, v. 14, et Lucas, cap. 9, v. 10. Christus autem cum audivisset Joannem esse decollatum, et insuper intellexisset qualem de ipso suspensionem haberet Herodes, *cessavit inde in naticulâ, in locum desertum soarsium;* Math. 14, v. 15. Lucas cap. 9, v. 10, addit fuisse locum desertum, qui est *Bethsaida.* Ad hæc intelligendum,

Nota quòd mare Tiberiadis sit quasi magnus lacus (per quem transit Jordanis) et ferè in formam ovi oblongi. A parte occidentali istius maris, in ejus ripâ dæe sunt civitates, scilicet Genezareth et Bethsaida; in ripâ verò superiori declinante ad partem septentrionalem ejusdem maris fluit Jordanis, juxta quem à parte occidentali sita est Capharnaum, è cuius regione, in oppositâ ripâ Jordanis, seu in parte orientali, est Corosain.

Dubium hic est an Christus mare transierit à parte orientali in oppositam ripam, an verò tantum navigaverit juxta ripam maris à parte civitatum Genezareth et Bethsaidæ. Ven. Beda in cap. 6 Marci, Abulensis in cap. 14 Matthæi, Maldonatus et à Lapide dicunt Christum non transfreasse ad oppositam partem, sed navigasse juxta eandem maris ripam. Attamen oppositum est verisimilius. Unde

Resp. et dico: Christus mare Tiberiadis transfretavit, navigando à parte ejus occidentali in oppositam ripam, seu in partem orientalem.



Prob. 1<sup>o</sup> quia Joannes cap. 6, v. 1, dicit: *Abiit Jesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiads*. Ergo manifestum ac evidens est quod Christus navigaverit in oppositam ripam; nam si tantum navigasset juxta eandem, non posset dici abissis trans mare, seu illud trajecisse; si quidem de illo qui navigat ex uno loco maris ad alium, manendo semper juxta eandem ripam, non potest dici quod abeat trans mare, seu illud trajiciat.

Prob. 2<sup>o</sup> quia Marci 6, v. 45, postquam turbae manducaverant, *Christus coegit discipulos suos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaida*. Atqui si fuisset ab hac parte in deserto propè Bethsaidam, non potuisset illos mittere trans mare ut pervenirent Bethsaidam; ergo Christus multiplicavit quinque panes in deserto, sito in opposita ripa è regione Bethsaidae; adeoque hinc rursus clarum est quòd navigaverit in oppositam ripam.

Obj. 1<sup>o</sup>: Lucas, cap. 9, v. 10, dicit: *Secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida*. Atqui Bethsaida erat à parte occidentali maris Tiberiads; ergo, etc.

Resp. Neg. consequ. quia locus ille vocatur desertum Bethsaidae, non quia erat propè Bethsaidam, sed quia erat è regione Bethsaidae in opposita maris ripa; mare enim illud ibi tantum habet circiter duo millaria brabantica latitudinis; unde non mirum quòd locus in opposita ripa vocetur locus desertus Bethsaidae. Sic Numer. 34, v. 5, terminus Palaestinae dicitur: *Torrens Aegypti*, non quia erat propè Aegyptum; distabat enim faciliè octodecim leucis, medietate totum desertum Pharan; sed quia erat è regione Aegypti, ex alia parte deserti Sinai. Sic etiam dicitur porta Bruxellensis, non quòd est Bruxellis, sed quòd itur Bruxellas.

Obj. 2<sup>o</sup>: Marcus cap. 6, v. 55, dicit: *Pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et praevenerunt eos*. Atqui si Christus et discipuli ejus navigassent trans mare, turbæ non potuissent ipsum sequi pedestres, etc.

Resp. Neg. min. Quia potuerunt Christum transfretantem sequi à Bethsaidâ rectâ Capharnaum, et inde transmissio ponte, qui est super Jordanem (ut refert Adrichomius, in Descriptione tribus Nephthalim, num. 78) inter Capharnaum et Corosaim, veniebant in illum locum desertum, qui non procul erat à Corosaim.

Obj. 3<sup>o</sup>: Joannes cap. 6, v. 25, dicit: *Alii supervenerunt naues à Tiberiade* (quæ civitas alio nomine vocatur Genezareth) *juxta locum ubi manducaverant panem*. Ergo ille locus erat prope Tiberiadem, putâ inter Tiberiadem et Bethsaidam; adeoque erat à parte occidentali ipsius maris.

Resp. Neg. consequ. quia Joannes non dicit quòd venerint ab illo loco ubi ipsi manducaverant panem; sed quòd venerint à Tiberiade ad locum, vel juxta locum ubi turbæ manducaverant panem.

Postquam autem Dominus quinque pauperibus et duobus piscibus saturasset quinque millia virorum, fugit

volentes ipsum facere regem; de nocte verò super mare ambulabat, quod videntes discipuli timerunt. Ille autem dicit eis: *Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in navim; et statim navis fuit ad terram in quam ibant*. Joan. 6, v. 20 et 21. Ob hæc verba S. Chrysost. in mox citatum Joan. locum putat Christum bis ambulasse super mare, scilicet apud Matthæum cap. 14, v. 52, et Marcum cap. 6, v. 51, qui dicunt ipsum ascendisse in navim; et semel apud Joannem, cap. 6, qui non dicit ipsum ascendisse in navim, sed potius contrarium insinuat. Interim dicendum videtur discipulos voluisse quidem Christum statim in navim accipere, at ipsum tunc noluisse, sed aliquantulum super mare cum Petro ambulasse; postea verò navem conscendisse, protinusque in portum venisse. Ita Euthymius; imò ipse etiam Chrysost., hom. 15 in Matth., dicit: *Cum terræ applicaturus esset, in navigium Christus ascendit*.

## CAPUT XVIII.

## TERTIUM PASCHA.

Post hoc pascha scribas et Phariseos reprehendentes discipulos, quod illotis manibus manducarent, Christus graviter redarguit. Postea verò vivit in fines Tyri et Sidonis, ubi filiam mulieris Chanaanæ liberavit à dæmonio; et inde ad mare reversus multos infirmos sanavit, Matth. 15, à v. 1 usque ad 32, et Marci toto cap. 7. Mox septem panibus paucisque pisciculis quatuor millia virorum cibavit, Matth. 15, v. 55 et seq.; Marci 8, v. 1 et seq. Postea verò venit Jesus in partes Cæsariæ Philippi, ubi Petro confitentis ejus divinitatem dicit: *Tu es Petrus*, etc. Mox autem passionem ac mortem prædicit sibi subeundam. Octavo post die transfugerat in monte; ex monte descendens eiecit dæmonium è lunatico. Inde digressus in Galilæam prædicit iterum passionem suam ac resurrectionem; quæ omnia consequenter narratur, Matth. 16, à v. 15 usque ad 25, cap. 17; et Marci 8, à v. 27 usque ad 32, cap. 9; et Lucæ 9, à v. 18 usque ad 46. Ingressus Capharnaum, pro se et Petro didrachma solvit. Matth. 17, v. 25.

## QUESTIO PRIMA.

An Christus tempore tertii paschatis ascenderit Jerosolymam.

Resp. et dico: Quòd paucis diebus post multiplicationem quinque panum in deserto, et sermonem illum de pane celesti, quem Christus Capharnaï habuit, fuerit Pascha quod à haptismate Christi erat tertium, satis clarè exprimit Joannes cap. 6, v. 4 dicens: *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum*. Sed an Christus ad illud Pascha celebrandum Jerosolymam ascenderit, nec Joannes, nec alii evangelistæ insinuant.

D. Thomas putat Christum tunc Jerosolymam non ascendisse, sed in Galilæâ mansisse. Unde lect. 1, in cap. 6 Joan. ita scribit: *« Hoc autem est secundum Pascha, de quo evangelista mentionem facit: ad quod quidem juxta legis præceptum, quod habetur Exodi 25, Dominus non ascendit in Jerusalem, cu-*

## QUESTIO II.

« jus ratio est quia Christus Deus erat et homo; in quantum homo suberat quidem legi, in quantum Deus supra legem erat: ut ergo se hominem ostenderet, servabat aliquando legem; ut verò Deum, legem solvebat; unde et per hoc quod non vivit, dedit intelligere, quòd paulatim et brevi legalia cessarent, scilicet in morte ejus. Itaque juxta D. Thomam potuit Christus legem illam negligere, ut ab illius observatione liberum se ostenderet, utpote qui supra legem erat.

Interim nonnulli alii existimant Christum tempore istius Paschatis Jerosolymam ascendisse. 1<sup>o</sup> Quia licet non esset subjectus legi, tamen voluit legem usque ad amissim observare, ne daret Judæis ullam occasionem ipsum calumniandi. 2<sup>o</sup> Si isto Paschate non ascendisset Jerosolymam, haud dubiè scribæ et Pharisei id ipsi exprolassent; imò desuper eum accusassent, dicendo quòd esset seductor, et prævaricator legis. Jam autem hoc nunquam fecerunt; ergo, etc.

Quidquid sit; vel ob justam et rationabilem causam, puta quia Judæi querebant ipsum interficere, isto Paschate Jerosolymam non ascendit; vel si ascendit, continuo tunc statim in Galilæam reversus est: siquidem quòd tunc Jerosolymis non diu moratus fuerit, omnino manifestum est ex Joan. 7, v. 1, ubi evangelista immediatè post sermonem illum de Eucharistiâ subjungit: *Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia querebant eum Judæi interficere*.

Interim dum in Galilæam ambulabat, scribæ et Pharisei, è Jerosolymâ venientes, accesserunt ad eum conquirentes quòd ejus discipuli contra seniorum traditionem manducarent illotis manibus. Quibus expostulantibus vicissim objecit Christus neglectum mandatorum Dei; et inter alia eis exprobrat quòd docerent filios non debere honorare parentes, sed eos satisfacere præcepto divino dicendo illis: *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit*. Matth. 15, v. 5. Obscurum hunc textum ita exponit S. Hieron. Quando parens pauper petebat à filio auxilium, non debebat filius illi dare, sed satisfacere præcepto divino: *Honora Patrem*, etc., offerendo aliquid in templo, dicens parentibus: *Illud quod offero tibi proderit; ferè sicut jam dicitur medicis: Deus te adjuvet*.

S. P. Aug. verò, lib. 1 Quæst. evang., cap. 15, explicat hoc modo: *« Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: id est, munus quod offers causâ mei, et ad te jam pertinebit. Quibus verbis significant filii jam non sibi opus esse parentum oblationibus, quod ad eam ætatem pervenissent, ut possent jam ipsi offerre pro se. In hæc ergo ætate constitutos, ut possent parentibus suis hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant Pharisei reos esse, si parentibus suis non præstarent honorem. Totus ergo sensus est quòd, quando filii erant tam magni, ut ipsimet offerrent munera in sacrificium, non deberent amplius honorare parentes.*

*Quid aut quem intelligat Christus per petram, dicit, Matth. 16, v. 18, dicit: Super hæc Petram edificabo Ecclesiam meam.*

Resp.: Per illam Petram intelligit apostolum Petrum. Unde sensus est hic: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis, id est, ullus homo, non revelavit tibi (divinitatem meam) sed Pater meus celestis. Quare tibi dico: Non amplius vocaberis Simon, sed vocaberis Petra, quia super te, tanquam super Petram, edificabo Ecclesiam meam.* Quare

Nota quòd Christus non dixerit: *Tu es Petrus*, sed: *Tu es Petra*. Nam locutus est Syriacè: *Tu es kepha*, id est, *petra*; et *super hæc kepham edificabo*, etc. Sed Interpres græcus, quia Petrus erat vir, vertit, non *Petra*, sed *Petros*; quod idem fecit Interpres latinus, Verum significat Græcè, æquè ac *petra* petram sive lapidem significat. Itaque resolutio data.

Prob. 1 ex ipso textu: *Tu es Petra, et super hæc Petram edificabo Ecclesiam meam*. Ubi pronomen relativum *hanc* necessariò refertur ad illam petram quæ processit; atqui nulla petra processit, nisi illa cui dicitur: *Tu es Petra*; ergo per istam petram intelligitur apostolus Petrus.

Confirmatur. Si rex diceret uni ex suis ministris: *Tu es diligens, et hunc diligentem elevabo ad primam dignitatem in aula meâ*, nullus alius intelligeretur elevandus ad primam dignitatem, quam ille cui dicit: *Tu es diligens*. Ergo etiam in textu præcitato nullus alius intelligitur, super quem edificanda erat Ecclesia, nisi ille cui dixit Christus: *Tu es Petra*.

Prob. 2<sup>o</sup> quia omnia antecedentia et consequentia referuntur ad solum Petrum, uti patet ex toto contextu, qui ita sonat: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus et super hæc Petram edificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni cælorum*. Ergo etiam illa media propositio: *Et super hæc Petram edificabo Ecclesiam meam*, refertur ad Petrum.

Prob. 3<sup>o</sup> quia Christus voluit remunerare confessionem Petri, eò quòd ipse solus inter omnes apostolos ejus divinitatem agnovisset; atqui non fuisset aliqua remuneratio, si tantum dixisset: *Tu es Petra, et super aliam petram edificabo Ecclesiam meam*, sed potius fuisset aliqua diminutio; ergo, etc.

Obj. 1<sup>o</sup>: Nathanael, Joan. 1, v. 49, primus omnium dixit Christo: *Tu es Filius Dei*. Deinde multi alii confessi sunt ipsum esse Filium Dei; ergo Petrus non fuit primus, et per consequens Christus non voluit remunerare ejus confessionem tanquam primam.

Resp. Christum à Nathanaele, et ab existentibus in naviculâ, Matth. 14, v. 35, vocatum fuisse Filium Dei. Sed hi conceptum dumtaxat confusum hæc de re in mente sibi formabant, credebantque in genere Christum verè esse Filium Dei præ aliis prophetis; at quâ ratione id esset, an per generationem æternam, an per alium modum vel denominationem ignorabant, et distinctè concipere explicareque non poterant,



Petrus autem id distincte, clarè, et sublimiter à Deo illuminatus agnovit, et prius hæc de re interrogatus palmam constanter id ipsum confessus et professus est, *Math. 16, v. 16*, quod scilicet Christus propriè esset Filius Dei; id est, per generationem æternam genitus à Deo Patre, ideòque illi consubstantialis, ac verus æternusque Deus.

Obj. 2<sup>o</sup>: Sancti patres dicunt per *hanc Petram* intelligi hanc fidei confessionem. Unde D. Hilarius, lib. 6 de Trinit., dicit: *Super hanc confessionem Petram Ecclesie ædificatio est.* Idem habent S. Ambros., lib. 6 in Lucam, cap. 9; Cyrillus, lib. 4 de Trinit. Item S. P. Aug., tractatu 10 in Epist. Joan., ait: *Quid est super hanc Petram? Super hanc fidem, super id quod dictum est: Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Resp. Quando illi patres dicunt Ecclesiam fundatam esse super fidem Petri, fidem non sumunt abstractim, sed concretim; scilicet prout fides fuit in Petro, seu habita à Petro: Nam Ecclesia non ædificatur ex fide hominum, sed ex hominibus fidelibus; adeòque ejus fundamentum non potest esse fides Petri, sed Petrus fidelis. Deinde fides Petri fuit quidem ratio fundandi Ecclesiam super ipsum, sed ipse fuit fundamentum.

Ratio autem cur illi patres sic scripserint, est quòd scriberent tempore Arianorum, qui docebant Christum esse quidem Filium Dei, non tamen consubstantialem Patri suo; et per consequens negabant ipsius divinitatem. Itaque illi patres dicebant Ecclesiam esse fundatam super istam fidem, quòd Christus esset verè Filius Dei, Patri consubstantialis, et verus Deus: adeòque neminem posse esse partem, aut lapidem istius ædificii, nisi crederet et confiteretur illam fidem quam Petrus ibi confessus fuerat.

Cæterum quòd isti patres etiam doceant, per *hanc Petram* intelligi personam Petri, liquet ex S. Hilario, qui loco præcitato ita scribit: *Post sacramenti confessionem B. Simon ædificationi Ecclesie subjacens, et clavos regni celestis accipiens, etc.* Et in Psal. 151 ait: *Tanta fuit Christo religio patienti, ut Petram primum Dei confessorum, Ecclesie fundamentum, celestis regni janitorem, et in terreno judicio judicem cali, satanae comitio nuncuparet, etc.* Et D. Cyrillus, in cap. 1 Joan., citans illa verba Christi ad Petrum dicta: *Tu vocaberis Cephas, ait* Christum ipso vocabulo commode significasse quòd in eo tanquam in petrà lapideque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam. Item S. Chrysost., hom. 5 in *Math.*, dicit: *Petrus factus est Ecclesie fundamentum.* Et hom. 55: *Petrus universo terrarum orbi Christus præposuit.* Similiter loquitur S. Ambros., serm. 47: *Petrus pro soliditate devotionis, Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, etc.*

Obj. 3<sup>o</sup>: S. P. Aug., tract. 124 in Joan., per illam Petram intelligit Christum. Ita enim scribit: *Super hanc Petram, inquit (Christus), quam Petrus confessus est, ædificabo Ecclesiam; Petra autem erit Christus, super quòd fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus.* Fundamentum quippe aliud nemo

potest ponere, præter id quòd positum est, quòd est Christus Jesus. » 1 Cor. 5.

Resp. Augustinum ibi agere de præcipuo fundamento Ecclesie, à quo tota Petri soliditas et potestas promanant; et illud certè est ipse Christus, quem supposità hæc explicatione dicit in textu controverso vocari Petram; sed S. doctor non negat ipsum Petrum debere intelligi, quando agitur de fundamento Ecclesie secundario; quinimò hoc sepe dicit affirmat; dicit enim, serm. 29 de Sanctis: *Petrus solus inter apostolos meruit audire: Tu es Petrus, et super hanc Petram, etc.* Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei et populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum. » Item in Psal. 69 dicit: *Petrus confessus erat Filius Dei, et in illa confessione appellatus erat Petrus, supra quam fabricatur Ecclesia.* » Et tract. 7 in Joan., citans illa verba Christi: *Petrus es, Simon Bar-Jona, etc.* ait: *Ibi Petrum nominavit, et laudavit firmitatem Ecclesie.* Ex jam dictis

Collige Lutherum, Calvinum, et alios hæreticos abuti isto singulari loco S. Augustini ad eversionem primatum et infallibilitatem suam pontificis. Veram desuper vide plura apud theologos.

Notandum tamen fuisse quòd, quando Aug., lib. 1 Retract.: cap. 21, dicit: *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior eligat lector:* scilicet tantum per Petram intelligatur Christus, an verò Petrus; debeat Augustinus intelligi utrum in præfato *Matthæi* textu debeat intelligi Petra primaria, que juxta ipsum est Christus, an verò Petra secundaria, que juxta ipsum est Petrus Apostolus, prout ibidem dicit se posse in libro contra Epistolam Bonati. Jam autem utrumque verum est, quamvis naturaliter ille textus debeat intelligi de Petrà secundarià. Et ubi quis vult illum intelligere de Petrà secundarià, etiam tunc vult Augustinus eum intelligendum esse de Petro Apostolo, dicitque absolute illum per ista verba statutum fuisse lapidem, fundamentum, et petram Ecclesie.

#### QUESTIO III.

Quinam intelligantur per portas inferi.

Dùm Christus loco supra citato subdit: *Et porte inferi non prævalent adversus eam*, representat Ecclesiam suam sicut domum, castrum, vel civitatem ædificatam supra petram; et ita ædificatam et porte inferi non sint prævalitura contra eam. Sed eam porte nunquam pugnent, et per consequens non possint prævalere, id est, obtinere victoriam contra aliquam civitatem aut hostes; quæstio hæc est apud interpretes unde deducatur ista locutio tropica, sive quinam intelligantur per portas.

Resp. et dico: Per portas inferi intelligendi sunt hæretici.

Probatum et explicatum. Duplex est usus portarum, scilicet claudi et aperiri. In quantum clauduntur servant defensionem civitatum, et sic possunt metaphorice accipi pro fortitudine, seu munimento civitatum; et hoc sensu dicit Psalmista, Psal. 147. *Confortavit seros*

portarum tuarum. Et Psal.: 106. *Quia contrivit portas areas, et vectes ferreas confregit.*

Quatenus autem portæ aperiuntur, dant introitum volentibus intrare; et sic portæ inferi sunt illi qui alios jubent intrare per scandala que ipsis dant: nam sicut portæ apertæ sunt causa seu occasio cur aliqui intrent civitatem, v. g., ita scandala sunt causa cur multi intrent infernum.

Scandalum autem datur duplici modo: aliqui enim scandalizant proximum malis suis actionibus: at quamvis illi possint vocari portæ inferi, de his tamen non loquitur Christus, quia illi non malè vivunt et prævalent contra Ecclesiam, sed tantum ut satisfaciant suis cupiditatibus. Per portas igitur inferi debent intelligi illi qui scandalizant proximum verbis, seu falsâ doctrinâ, qui animas veneno suæ hæresis intoxicant, qui illas perverso schismate è sinu Ecclesie erunt.

Inter hos autem eminenti isti qui Ecclesie bellum declararunt, non solum suis hæresibus, sed etiam conviciis, traducendo illam tanquam Babylonem Apocalypsis, sedem ejus tanquam thronum Antichristi, et summum ejus Pontificem tanquam ipsummet Antichristum. Hi autem sunt hæretici, qui nostris temporibus Ecclesiam multum infestârunt.

Obj. 1<sup>o</sup> Officium portarum non est pugnare et vincere, sed tantum defendere; ergo per portas inferi non potest intelligi potentia quam habet infernus ad invadendum Ecclesiam, sed potentia quam habet ad se defendendum contra Ecclesiam.

Resp. Neg. consequ., quia etiam officium domus vel castri, sub cuius formâ Christus hic depingit Ecclesiam, non est pugnare et vincere, sed tantum defendere; nam domus, castrum, aut civitas non fortificatur et pugnet, sed ut defendat. Unde nulla civitas dicitur fortis à fortibus civibus, vel à forti presidio, sed à fortibus mœnibus et munimentis: adeòque Christus, qui hic fortificat suam Ecclesiam supra petram, non designat ejus aggressionem, sed defensionem.

Deinde verbum, *prævalere*, non significat superare in resistendo, sed superare in pugnando; ergo sensus non potest esse: Portæ inferi non valebunt illi resistere, sed non prævalent contra eam, non superabunt, non vincunt illam.

Obj. 2<sup>o</sup> Portæ possunt accipi metonymicè. Primum pro omnibus qui portis includuntur, sicut sumuntur civitas pro civibus. Secundò pro custodibus qui sunt in portis. Tertio pro iudicibus et magistratu, qui olim sedebant in portis, ubique omnes causas dirimebant. Unde illud Proverb. 31, v. 23: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.*

Resp. Illa dici non posse: nam inprimis nec ullibi in Scripturâ, nec apud ullos profanos auctores portæ unquam sumuntur isto sensu. Item qui portis includuntur, aliam civitatem invadere non possunt.

Si verò quis dicat quòd egressi extra portas aliam civitatem invadere possint, dico ego quòd tunc Christus debuisset dicere: *Infernus non prævalebit adversus eam*, quia hæc metonymia est usitata.

Deinde non potest etiam intelligi de custodibus aut iudicibus; quia illi non sunt in portis ad pugnandum, sed ad invigilandum; iudices autem ad judicandum.

#### QUESTIO IV.

De gloriosâ Christi transfiguratione.

Resp. et dico 1<sup>o</sup> *Post sex dies*, à præfata confessione Petri, et prænuntiata imminente morte Christi, atque prædicata necessitate crucis bajulandi, etc., assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsim, et transfiguratus est ante eos. *Math. 17, v. 1.* Verba Christi, ait S. Hilarius, res sequitur. Dixerat cap. 16 *Math.*, v. 28: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Itaque post dies sex, quòd verbo est pollicitus, reipsâ prestitit: apostolis tribus seipsum ostendit in regno suo venientem: nam in Transfiguratione tres apostoli regnum Christi gloriosum quasi per transæmum viderunt, et prægrastârunt; in quantum mirum tunc Christus ipsis dedit specimen gloriae, claritatis, magnificentie, gaudii, et felicitatis quam obtinebant sancti in regno celesti. Unde S. Leo, serm. de Transfigur., ait: *In regno, hoc est, in regni claritate.*

Lucas quidem, cap. 9, enumerat octo dies; dicit enim, v. 28: *Factum est autem post hæc verba serè dies octo.* Attamen inter ipsum et Matheum nulla est contradictio; quia, ut S. Chrysost., hom. 57 in *Math.* observat, *Lucas tem illum diem, quo Christus locutus est, quàm illum quo in montem discipulos adduxit; Matheus intermediis dies solum numeravit.* Eodem modo hanc nodum solvit S. P. Aug., lib. 2, de Cons. Evangelist., cap. 56, dicens: *Dies quando enumeramus dicentes: Post tot dies, aliquando non numeramus eum in quo loquimur, et eum quo res ipsa futura est quam præcuntiamus vel pollicemur, sed medius post quos reverà plenos atque integros illud futurum est. Hoc et fecit Matheus et Marcus: excepto eo die quo hæc (nempe: *Sunt quidam de hic stantibus, etc.*) loquebatur Jesus, et illo quo exhibitum memoratam in monte visionem, medius dies intuentes dixerunt: Post sex dies, quòd ille (scilicet Lucas) annumeratis à finalibus, id est, primo atque ultimo, dixit: Post octo dies, eo loquendi modo, quo pars pro toto commemoratur.* Unde quia octo dies non erant integri, videtur Lucas addidisse particulam *serè*.

Dico 2<sup>o</sup>: Qualis fuerit mons in quo Christus transfiguratus est nemo evangelistarum exprimit. Creditor tamen communiter fuisse mons Thabor, clarus victoriâ Barac et Deborah, *Judic. 4, v. 14.* Hæc est aperta sententia S. Hieron., epist. 27, cap. 6, ubi de Paulâ sic loquitur: *Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus est Dominus.* Idem docent S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 12; Damascenus, serm. de Transfig., Boda et alii passim. Unde etiam in concilio Florentino Procmio Græci dicunt Christum in monte



Thabor resplenduisse. Et Ecclesia in festo Transfigurationis pro antiphona septimâ in Matutinis cantat: *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabant*. Hermon juxta à Lapide exultavit, dum in baptismo Christi vocem Dei Patris de celo audivit; Thabor verò, dum eum in se transfiguratum vidit. Addit Beda in tractatu de locis sanctis, cap. 17, in monte Thabor pro rei memoriâ edificatis esse tres Ecclesias, juxta votum Petri de faciendis ibidem tribus tabernaculis. Narrat etiam Nicephorus, lib. 8, cap. 50, sanctam Helenam in monte Thabor, ob memoriam transfigurationis pulcherrimum extruxisse templum, illudque amplius redditibus dotasse. Huic templo duo postea accessere monasteria, unum Eliæ, alterum Moysi consecratum.

Obj. 1<sup>o</sup>: Isaie 55, v. 5, dicitur: *Gloria Libani data ei, decor Carmeli, et Saron*. Et mox subditur: *Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri*. Ergo transfiguratio facta est in monte Libano.

Resp. Neg. conseq., quia nullus est hic respectus ad transfigurationem, sed ad Ecclesiam Christi existentibus congregatam, ut ex S. Hieron. docet Dionys. Carthus. in hunc locum, quem ita exponit: *Excellentia synagoga, seu templi ad Ecclesiam Christi translata est (templum enim ex cedris Libani extractum fuit) de quo Libano Zacharias, cap. 11: Aperi, inquit, Libano, portas tuas. Ipsi, scilicet habitatores, et filii Ecclesie videbunt modò per fidem, et in patria per speciem gloriam Domini; id est, excellentiam, seu beatitudinem, vel opera gloriosa Dei. Et decorem Dei nostri, de quo in Psalmis cantamus: Speciosus formâ præ filiis hominum.*

Inst. Apud eundem prophetam, cap. 60, v. 17, dicitur: *Gloria Libani ad te veniet; et mox subditur: Et locum pedum meorum glorificabo.*

Resp. cum eodem Dionys. Carthus. in locum objectum, quòd priorum verborum sensus sit hic: *Personæ notabiles converterent ad fidem tuam, v. g., abies, et buxus, et pinus; id est, viri sublimes, harum arborum proprietate significati, quales secundum Hieron. fuerunt Cyprianus eloquentissimus martyr, et Hilarius confessor sanctus. Posteriora autem verba idem Dionysius ita exponit: Ecclesiam peregrinantem, militantem in terrâ, de qua protestatus sum: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, glorificabo spiritualibus bonis atque prodigiis. Tota igitur prophetia ista de Christi Ecclesia est intelligenda.**

Obj. 2<sup>o</sup>: Mons Thabor est terminus Zabulon, atque situs in medio Galilee campo, ut dicit S. Hieron., lib. de Locis Hebraicis. Atqui Christus non videtur transfiguratus in Galilee, ut colligitur ex Marci 9, v. 29, ubi ipse et discipuli ejus post Transfigurationem prætergressi dicuntur Galileam: Ergo transfiguratio facta est in Libano, monte amonissimo; quia Caesarea Philippi, ubi Christus se transfigurandum promiserat, adiacet Libano.

Resp. Neg. min. Nam Marcus, dum dicit: *Et inde prætergressi erant Galileam*, non vult signifi-

ficare quòd post transfigurationem ex aliâ regione venerit in Galileam, sed tantum insinuat quòd Christus post descensum de monte cum discipulis suis adjacentes Galilee urbes prædicando, et sanando more suo pertransierit; ut ad urbem suam Capharnaum perveniret; quò eum pervenisse narrat Matthæus cap. 17, v. 25, qui etiam clarius dicit ibidem v. 21: *Conversantibus autem eis in Galilee, dicit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum. Ergo jam versabantur in Galilee; et consequenter ibi transfiguratus est Christus, ubi locus erat prædicationis et miraculorum ejus.*

Dico 5<sup>o</sup>: Modum Transfigurationis pulchrè describit S. Hieron. in cap. 17 Matth., dicens: *« Nemo putet Christum pristinam formam, et faciem perdidisse, et vel amisse corporis veritatem, et assumpsisse corpus vel spirituale, vel aereum. Sed quomodò transformatus sit, evangelista demonstrat dicens: « Resplendit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor faciei ostenditur, et candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. » Item Euthymius ait: « Transformatus est, corpore quidem in propriâ figurâ manente: divino autem splendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem ejus illustrante, speciemque illius ad majorem Dei similitudinem immutante. » Id ipsum clarè etiam insinuat Lucas, cap. 9, v. 29, dicens: *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera. Non ergo altera facta est facies, sed facie species; et sic transfiguratio facta est, non in figurâ, aut substantiâ corporis Christi, sed in splendore et pulchritudine.**

#### QUESTIO V.

An in transfiguratione Christi Moyses in proprio corpore apparuerit.

Quòd in hac transfiguratione apparuerit verè Elias in proprio corpore, consentiunt omnes; nam Elias nondum est mortuus. Sed Lyranus, Salmeron, et D. Thomas, 5 p., q. 45, a. 3, ad 2, dicunt animam Moysi apparuisse, non in proprio corpore, sed in spiritali vel aereo. Attamen

Resp. et dico: Verisimilius est Moysen etiam apparuisse in proprio corpore. Ita Tertullianus, Origenes, Irenæus, et alii quos citat et sequitur Suarez, 5 p., q. 45, disput. 22, sect. 22.

Prob. 1<sup>o</sup> quia S. Hieron. in cap. 17 Matth. dicit: *Dat Christus signum, Moysè ab inferis resurgente.* Atqui non resurrexisset, si non resumpsisset proprium corpus: siquidem *resurgere* denotat quòd anima rursus uniat corpori; ergo, etc.

Prob. 2<sup>o</sup> ex S. P. Aug., qui tract. 424 in Joan. refutans opinionem eorum qui putabant Moysen adhuc vivere, eò quòd cum Eliâ apparuisset in monte Thabor, ita scribit: *« Quasi Moysi corpus non poterit alienari sic abscondi, ut prorsus homines lateret ubi esset, atque inde ad horam divinitus excitari, quò cum Christo Elias et ipse sunt visi: sicut ad horam multa sanctorum corpora surrexerunt, quando passus est Christus, et post ejus resurrectionem*

#### QUESTIO VI.

Quanta fuerit fides patris pueri lunatici.

Dim Christus die immediatè sequenti post transfigurationem descenderat de monte, ad præces patris rogantis pro filio suo unico, demoniacum lunaticum sanat. Patet hoc ex Luca 9, v. 37, ubi dicitur: *Factum est autem sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa; et ecce vir de turba clamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, etc.* Idem miraculum narrat etiam Matthæus, cap. 17, v. 14, et Marcus, cap. 9, v. 16. Porrò per lunaticum intelligitur homo laborans epilepsiâ, quem demon, in plenitudine et novitatis morbo comitiali spumantem, et stridentem maximè exagitabat. Unde S. Chrysost. et Hieron. in cap. 17 Matth. docent, epilepsiam communem non tam lunæ et humorum commotioni quàm demoni esse tribuendam, qui ad eam causandam lunæ mutationibus, et incrementis vel decrementis utitur. Similiter etiam docet D. Thomas in cap. 17 Matth., dicens: *« Demones inducunt infirmitates, et vexationes secundum quòd vident impressionem stellarum ad hoc convenientem, ut inducant homines in errorem, ut credant quòd solùm ex influentiâ stellarum accidat eis malè patiuntur. »*

Resp. et dico: Fides patris pueri lunatici in initio satis infirma fuit: nam dicit Christo: *Si quid potes, adjuva nos, miseris nostri*; Marci 9, v. 21. Ex quibus verbis colligitur ipsum non credidisse quòd certò hoc Christus posset; aliis enim non addidisset particulam conditionalem si. Unde et Christus suâ responsione significat impedimentum non esse ex sua potentia, sed ex ipse incredulitate. Dicit enim loco citato, v. 22: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Non quòd ipsi credenti sint omnia possibilia; sed significat Dominus omnia sibi esse possibilia factu, et illi possibilia impetratu, modò ipse possit credere, id est, modò credat; non quòd Christus facere non posset nisi illo credente; sed quia voluit in miraculis faciendis illam ordinariam legem servare, ut ea non impenderet nisi credentibus, saltem si agatur de illis qui ea fieri petebant. Per quod Ecclesiam suam docere voluit beneficia salutis, ut sunt gratia Dei (intellige habitualis; nam gratia actualis datur etiam infidelibus), remissio peccatorum, et vita æterna, non obtingere nisi per fidem. Ita Estius.

Prob. 3<sup>o</sup>. Quia Moyses apparuit ut esset testis gloriae Christi, aequè ac Elias: et quidem ut esset testis oculatus: ergo convenientius fuit ut appareret in proprio corpore. Hinc

Prob. 5<sup>o</sup>. Anima Moysi non potuit assumere corpus aereum, nisi virtute supernaturali seu divinâ: Atqui credibilis est quòd Deus, presertim in hoc maximo utriusque Testamenti negotio (id est, in quo, ut loquitur S. Leo, serm. de Transfigur.: *Veteris et novi Testamenti concinit tuba*) voluerit ut anima Moysi potius intraret corpus proprium quàm extraneum (nam utrumque erat aequè facile) ut scilicet ipse Moyses per se testimonium daret divinitatis Christi, ipsum videret, etc. Ergo Moyses in proprio corpore apparuit.

Obj. 1<sup>o</sup> et inferes: Ergo Moyses bis mortuus est.

Resp. Neg. illationem; si nempe agatur de morte, prout est homini penalis; quia anima ejus secundà vice exivit ex corpore sine dolore aut tristitiâ, eodem modo sicut reliquisset corpus aereum, aut sicut anime sanctorum, qui tempore resurrectionis Christi surrexerunt, rursus è corporibus exiverunt.

Obj. 2<sup>o</sup> ex eo quòd dicitur 1 Reg. 28, Sammel apparuisse Saùli, et 2 Machab. 15, Jeremias ac Onias apparuisse Judæ Machabæo, non sequitur quòd hi apparuerint in proprio corpore; ergo nec etiam ex Evangelio sequitur quòd Moyses in proprio corpore apparuerit.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est quòd Moyses et Elias apparuerint tanquam testes divinitatis Christi; Samuel autem tantum ut Saùli præannuntiaret mortem suam, ad quod non erat necessarium ut appareret in proprio corpore: Moyses verò debebat dare testimonium de Christo, tanquam auctor veteris legis, ad quod conveniebat ut esset in proprio corpore aequè ac Elias, qui dabat testimonium nomine prophetarum. Quod dicitur de apparitione Jeremie ac Onie factâ Judæ Machabæo, fuit visio exhibitâ in somnio, adeoque fuit tantum imaginaria, non realis.

Quanta fuerit fides patris pueri lunatici. Dim Christus die immediatè sequenti post transfigurationem descenderat de monte, ad præces patris rogantis pro filio suo unico, demoniacum lunaticum sanat. Patet hoc ex Luca 9, v. 37, ubi dicitur: *Factum est autem sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa; et ecce vir de turba clamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, etc.* Idem miraculum narrat etiam Matthæus, cap. 17, v. 14, et Marcus, cap. 9, v. 16. Porrò per lunaticum intelligitur homo laborans epilepsiâ, quem demon, in plenitudine et novitatis morbo comitiali spumantem, et stridentem maximè exagitabat. Unde S. Chrysost. et Hieron. in cap. 17 Matth. docent, epilepsiam communem non tam lunæ et humorum commotioni quàm demoni esse tribuendam, qui ad eam causandam lunæ mutationibus, et incrementis vel decrementis utitur. Similiter etiam docet D. Thomas in cap. 17 Matth., dicens: *« Demones inducunt infirmitates, et vexationes secundum quòd vident impressionem stellarum ad hoc convenientem, ut inducant homines in errorem, ut credant quòd solùm ex influentiâ stellarum accidat eis malè patiuntur. »*

Resp. et dico: Fides patris pueri lunatici in initio satis infirma fuit: nam dicit Christo: *Si quid potes, adjuva nos, miseris nostri*; Marci 9, v. 21. Ex quibus verbis colligitur ipsum non credidisse quòd certò hoc Christus posset; aliis enim non addidisset particulam conditionalem si. Unde et Christus suâ responsione significat impedimentum non esse ex sua potentia, sed ex ipse incredulitate. Dicit enim loco citato, v. 22: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Non quòd ipsi credenti sint omnia possibilia; sed significat Dominus omnia sibi esse possibilia factu, et illi possibilia impetratu, modò ipse possit credere, id est, modò credat; non quòd Christus facere non posset nisi illo credente; sed quia voluit in miraculis faciendis illam ordinariam legem servare, ut ea non impenderet nisi credentibus, saltem si agatur de illis qui ea fieri petebant. Per quod Ecclesiam suam docere voluit beneficia salutis, ut sunt gratia Dei (intellige habitualis; nam gratia actualis datur etiam infidelibus), remissio peccatorum, et vita æterna, non obtingere nisi per fidem. Ita Estius.

Respondit autem pater pueri lunatici: *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.* Magnus et mirus fidei proleptus, inquit Estius. Qui paulò ante dubitabat de Christo an morbum corporis pellere posset; modò non dubitat cum invocare tanquam medicum anime, qui infidelitatem ejus curare posset, quod est solius Dei.

Quod autem dicit: *Adjuva incredulitatem meam*, simile est illi Luca 17: *Domine, adjuve nobis fidem*, ita ut illa verba idem significant, ac, *adjuva me incredulum ut firmis credam.* Porrò illa verba tantam fidem sonant, ut Ecclesia velit illa re-



sponderi ab infirmis, priusquam viatico reficiantur.

QUESTIO VII.

De quo tributo agatur Matth. 17, v. 24.

Quando Christus cum discipulis suis intrabat Capharnaum, accesserunt publicani ad Petrum, et dixerunt ei: *Magister vester non solvit didrachma? Aut Etiam.* Lyranus, Abulensis, et Cajetanus neganter exponunt *et etiam*; id est: Verum est quod dicitis, non solvit magister didrachma seu tributum. Verisimiliter tamen Tielmannus, et Jansenius interpretantur affirmanter, *etiam*; hoc est, magister solvit tributum: siquidem id insinuat sensus constructionis, iuxta quem publicani non dixerunt quod Christus solutionem didrachmatis negaret, sed petiverunt an solveret necne? Petrus igitur dicendo: *Etiam*, annuit, et ex consuetudine Christi, quam viderat praecedentibus annis, respondet Christum solvere hoc tributum.

Ocasione autem illorum publicanorum, petentium à Christo tributum didrachmae, dicit Dominus Petro: *Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Questionem propositam, nempe de quo tributo vel censu hic agatur, docet agitur auctor Analyseos, disertat. 18, ubi in hunc modum resolvit:*

Primò, S. Chrysost., hom. 59 in Matth., putat illos publicanos, seu, ut jam vocantur, commissarios petivisse tributum quod omnes primo genti Israelis debebant dare, juxta legem, Num. 18, v. 13: *pro hominibus primo genti tributum accipias... cuius redemptionis erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere sanctuarii.*

Verùm huic opinioni obstat primò, quòd illa pecunia deberet solvi post unum mensem à nativitate, vel saltem in die purificationis matris. Secundò, quia debebant dari sicli argenti quinque, pondere sanctuarii; id est, ferè quod medii patacones nostrates: publicani autem petunt à Christo didrachma; id est, ferè duos solidos nostrates.

Secundò, aliqui interpretes, secuti S. Hieronymum et Bedam, dicunt hic agi de tributo quod Augustus imposuerat Judaeis, dum per Cyrium jusserat describi universum orbem. Dubitant interim illi interpretes, num tributum illud diu ante fuerit impositum, scilicet à Pompeio, diu Jerosolymam cepit. Addunt ulterius, conjecturantes quod tributum illud à descriptione illa, per Cyrium facta, non amplius deberet solvi à quolibet in civitate, è qua erat oriendus, ut Lucae 2, sed in civitate in qua habitabat. Hinc factum est, ut, quia Christus plurimum morabatur in Capharnaum, etiam publicani Capharnaum ab ipso petierunt didrachma.

Ratio ipsorum prima est haec, quia Matthaeus utitur dictione purè Latina, *census*, quod significat pretium illud juxta quod cuiuslibet bona seu facultates taxantur vel aestimantur.

Hae ratio nihil probat: nam Christus loquitur gene-

raliter de omni pretio quod principes suis subditis imponunt solvendum, quocumque nomine vocetur, dicit enim: *Reges terrae à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* Certè filii regum excipiuntur, non à solo censu, sed à quocumque tributo. Item petebatur pretium determinatum capitatum, scilicet didrachma; atque census, taxa, vectigalia et alia tributa non sunt determinata secundum capita, sed secundum facultates vel merces; ergo non agitur de pretio illo, juxta quod bona taxantur seu aestimantur.

Secunda ratio ipsorum est quia Dominus dicit: *Reges terrae, etc.* ego loquitur de tributo solvendo regi, seu imperatori. Sed haec ratio quoque nihil probat, quia Christus ista verba tantum proposuit, ut inde à simili concluderet quòd, sicut filii regum non debent solvere tributum vel censum, sic ipse non deberet solvere istud didrachma. Praeterea, aliquo tempore post, Matth. 22, v. 17, Pharisei Christum interrogaverunt an liceret dare censum Caesari? Hoc autem verisimiliter non fecissent, si per illud didrachma intelligeretur tributum, quod Caesar Augustus imposuerat Judaeis; nam cum Christus istud didrachma solverit, non poterant Pharisei nisi ineptissime petere an hoc fore licitum quod ipse modo fecerat. Denique quomodo commissarii Caesaris tributum vel censum exegissent ab illo qui nulla bona immobilia habebat.

Restat ergo dicendum quòd hic agatur de tributo, quod Deus exigebat à filiis Israel, de quo dicitur Exodi 30, v. 11 et seq. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animalibus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recessit. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dividium sicli juxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Mediae pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero, à viginti annis et supra, dabit pretium. Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet. Susceptantque pecuniam, quae collata est à filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, et propitius animalibus eorum.*

Ex hac lege colligitur quòd, quando necessitas templi requirebat, feret illa numeratio populi et exigenter illud tributum. Hoc autem scilicet poterat accidere, praesertim tempore ministerii Christi; quia tunc Judaei gravati tributis, etc., quae Romani ab ipsis petebant, non poterant ita nullum, ut ante, ex devotione contribuere ad illa sacrificia, quae tamen non exigunt summam pecuniae requirebant, cum essent valde multa et quotidiana.

Hinc tributum illud, quod ante tantum aliquando petebatur, jam erat annuum, erraticum in omnibus civitatibus ad hoc commissarii qui illud exigebat; duravitque etiam sub Romanis: nam nullibi legitur illud hoc revocasse. Sed Vespasianus Augustus, ut refert Josephus, lib. 7 de Bello Judaico, cap. 27, post excidium Jerosolymitanum et dirutum templum jussit Judaeos, in quocumque imperii Romani

loco essent constituti, tributum illud medi sicli, sive didrachma, annuè solvi solitum templo, pendere imperio.

Itaque ratiocinium Christi habet hunc sensum: Reges terrae non petunt tributum à filiis, sed tantum ab alienis; adeoque filii sunt liberi; ergo similiter Deus Pater non petit hoc tributum à me Filio suo; sed tantum à suo populo; adeoque ego sum liber.

Pròbatur, quia Christus loquebatur Petro, qui optimè sciebat, et paulò ante apertè ac liberè confessus fuerat, ipsum esse Filium Dei; adeoque rectè concludere debebat Christum esse liberum. Deinde Dominus subjungit: *Ut autem non scandalizemus eos, vado ad mare, et mitte hantum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, et te.* Igitur ideò Christus didrachma solvit ne scandalizaret eos: non autem scandalizasset eos si non solvisset tributum Caesari, sed magis placuisset Phariseis, qui, ut docet S. Hieron., in cap. 5 Epist. ad Titum, judicabant illud tributum non esse solvendum; sed scandalizasset illos commissarii, qui faciliè erodissent illum ideò se vocare Filium Dei, ut à pendendo didrachmate esse immunis. Jussit autem Christus Petrum dare staterem pro se et ipso; quia stater facit duas didrachmas, ut docet S. Hieron., in cap. 17 Matthæi.

Obj. 1: Christus suo ratiocinio ab isto didrachmate pendendo etiam eximit Petrum; atque ille non erat filius Dei; ergo non agit de tributo templi.

Resp. Neg. consequ. Nam sicut non soli filii regum eximuntur à tributo, sed etiam ipsorum domestici, sic pariter non solus Christus, sed et omnes qui erant de familia, à solvendo didrachmate excipiendi erant; adeoque Petrus et ceteri apostoli erant exempti.

Obj. 2: S. P. Aug., exponens præfata Christi verba, lib. 1 Quæst. super evangelia, cap. 25, ita scribit: *Quod dixit: Ergo liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est liberio esse (regni) filios, id est, non esse vectigales. Multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terrae.* Ergo, juxta S. Aug., Christus agit de tributo quod solvi debebat regi terreno, seu imperatori Romano.

Resp. Neg. consequ., quia S. doctor ibidem non dicit quòd Christus egerit de didrachmate, vel tributo solvendo imperatori Romano; sed tantum insinuat quòd ex verbis Christi ulterius, seu aliquo novo argumento possit deduci ipsum fuisse immunem etiam à tributo cuiuslibet regis terreni; puta argumentando hoc modo Christus, utpote Filius Dei, fuit immunis à solvendo tributo Patri suo caelesti; atque sub Deo Patre sunt omnia terrena; ergo et à tributis regnorum terrenorum immunis fuit. Et enim ex eo quòd filius alicujus sit immunis à tributo regi patri suo pendendo, rectè inferat quòd quoque exemptus sit à

tributis principum regi isti plene subjectorum.

Ocasione tributi quòd Dominus pro se et pro Petro solverat (ut putat S. Hieron., in cap. 18 Matth.), vel quia Christus prædixerat suam passionem, mortem, et resurrectionem (ut putant aliqui alii), discipuli accedunt ad Christum, ab illo tamquam vocati, ut constat ex Marci 9, v. 34, et petunt quis futurus sit major in regno caelorum? At Christus corripit ipsorum ambitionem, docetque humilitatem exemplo parvulorum; deinde deterret eos à dando scandalo, præcipit correptionem fraternam et remissionem offensae. Sed cum circa hæc nulla particularis occurrat difficultas scripturistica; ideò ista omnia hic transilimus.

CAPUT XIX.

Christus recedit à Galilæa, et per mediam Samariam ascendit Jerosolymam ad festum Scenopogiae. Matth. 19, v. 1; Marci 10, v. 1; Lucae 9, v. 51; et Joan. 7, v. 2. Jerosolymis exiit de se et de doctrinà à Deo accepta orationem habet. Mulierem in adulterio deprehensam dimittit, eique mandat ut in posterum diligenter abstinat à peccatis. Curat caecum natum, variosque sermones habet, etc. Joan. 7, à v. 14 usque ad v. 22, cap. 10.

QUESTIO PRIMA.

An omnes evangelistae suis respectivè locis agant de eodem recessu à Galilæa.

Pro hac questione juvat præmittere textus evangelistarum. Dicit Matthaeus, cap. 19, v. 1: *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem.* Dicit Marcus, cap. 10, v. 1: *Et die exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem.* Dicit Lucas, cap. 9, v. 51: *Factum est autem, dum completeretur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem.* Et misit nuntios ante conspectum suum: et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi. Et non receperunt eum; quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Id est, quia non volebat cum Samaritanis celebrare festum Tabernaculorum in monte Carizim, sed in Jerusalem, juxta legem; ideò Samaritani ipsum non receperunt. Denique dicit Joannes, cap. 7, v. 2: *Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopogiae. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam... Dicit ego eis Jesus: Tempus meum nondum advenit... Hic enim dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderent fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.*

Resp. et dico 1: Quòd Matthaeus et Marcus de eodem recessu seu itinere loquantur, clarum est, quia servant eundem ordinem scribendi. Eundem etiam servat S. Lucas: nam, postquam narravit ea quae Christus gessit in Galilæa, subjungit, ipsum, *cum completeretur dies assumptionis ejus, firmasse faciem ut proficisceretur in Jerusalem ex Galilæa per Samariam.*

Dico 2: Hæc de quo agit Joannes, cap. 7, est idem de quo agunt tres alii evangelistae locis citatis.